

# The Electronic Manipulus florum

www.manipulusflorum.com

## Fraternitas e cum uariis

Huius primum fundamentum substanciam mundialem in contemptu habere. Iniustum enim atque impium est, si post abrenunciatam mundi et omnium que in eo sunt uanitatem, preciosissime dilectioni fratris suppellex uilissima que superfuit preferatur. Secundum est ut ita unusquisque resecet suas uoluntates ne se sapientem atque consultum esse iudicans suis malit quam fratris diffinitionibus obedire. Tercium est ut sciat omnia, eciam que utilia ac necessaria estimat, postponenda bono caritatis et pacis. Quartum est ut credat nec iustis nec iniustis de causis penitus irascendum. Quintum est ut aduersus se iracundiam fratris, eciam sine ratione conceptam, eodem modo quo suam curare desideret, sciens equaliter sibi perniciosam alterius esse tristitiam, ac si aduersus alium ipse moueatur, nisi eam quantum in se est de fratris eciam mente depulerit.

Ibidem.

---

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>):

fundamentum] est *add.* P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; uanitatem] unitatem C V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; dilectioni] dilectionis M; superfuit] superfluit P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; ita unusquisque] unusquisque ita P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; resecet suas] suas resecet M P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; est *om.* C M P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>; eodem] eo P V<sup>1</sup> V<sup>2</sup> L<sup>1</sup> L<sup>2</sup>